

DV 1500



FRANCISCI GEBHARD,
MEDICINÆ ET CHIRURGIÆ DOCTORIS,
PROFESS. ANATOMIÆ FRIBURG. PUBL.
ET ORD. ARTIS OBSTETRICIÆ
MAGISTRI

ADVERSARIA
MEDICA.



CUM TABULA ÆNEA.

FRIBURGI APUD BRISGOJOS,

Sumptibus Anton. Wagner, Bibliop. Academ.

ET

Typis Ioannis Andreae Satron, Almæ Universitatis
Typographi.

1 7 7 6.

FRANCIS GIBSON
M.D. 1780
LONDON
ADAM HEBBURN
M.D. 1780



THE HISTORY OF THE
ROYAL SOCIETY OF LONDON
FROM ITS INSTITUTION
TO THE PRESENT TIME
BY JOHN HANCOCK
M.D. 1780

7

ILLUSTRISSIMO
AC
MAGNO VIRO
ANTONIO
LIB. BARONI
DE
STÖRCK,

*Augustiss. Imperator. & Im-
peratric. a Consiliis, Archia-
trorum Comiti, Inclyt. Facult.
Medic. Vienn. Præsidi Per-
petuo, Protomedico per Uni-
versas Provincias Austriacas,
& Plurium Societatum
Membro,*

DOMI-

DOMINO
AC
PATRONO SUO
GRATIOSISSIMO
ADVERSARIA HÆC MEDICA

ex
intima Devotione

D. D. D.

obsequiosissimus
AUTHOR.



L. B.



*Quem de HYPEROSTOSI hic
vides libellum, ex relictis
a medicis adhuc intactis
elegi, & ad solitam mor-
bos exponendi normam concinnavi;
a descriptione, ad differentiam, di-
visionem, causas, diagnofin, & ra-
tionem progredior medendi.*

*Nonnullis hæc ipfa distinguere
confectariis placuit, quorum ope mul-
ta*

—

ta paucis, non pauca multis, quod omnibus in odium venit, depromuntur.

Rationem medendi, meris observationibus suffultam, præstantiorem vix excogitabit posteritas.

Cæteroquin magnum scientiæ medicæ officium præstare, existimavi, si hac occasione plane inaudita per sectionem cadaveris inventa, ad intelligendos & curandos morbos maxime utilia adjicerem, uti videre est in tabula aenea.

Habes utique multa nova, quæ, ut benevolo animo suscipias, oro. Vale!




DE



DE
HYPEROSTOSI.



§. I.



Hyperostosis, græca vox,
componitur ex præpos.
ὑπέρ, supra, & *ὄστέον*, os,
offis. Ex nominis etymo-
logia sane indicatur omne

*offi superimpositum, sive in latum, aut
angustum, sive durum, vel molle exten-
sum: quidquid offibus superinsidet præter
naturam, cum de morbis sermo est, illud
omne deductio manifestat, planeque sibi
vult. Nostro porro sensu, morbus, am-
bitum offis vel integrum intumescendo cir-
cumscribens; vel faciem alicujus quam-
cumque, lamellis divaricantibus offeis
A elevans,*



elevans, profunde dolens intelligitur, exponitur.

§. II.

Scitur ergo præternaturalis ille, longitudinem totam, latitudinem ossis, sphaeram; vel illius partem, ad fines minus expandens; durus, renitens, osteocopo dolore obtuso, fixo, magis vel minus comitatus tumor, *Hyperostosis* est. Substantiam ossis bracteata omnem, plurimasque ossis regiones pro sede accommodare sibi posse, observatur.

§. III.

Ut autem hujus mali idea pateat clara: etsi præstantissimis osteo graphis fabricam osseam elucidare placuerit dudum, tamen antequam historiam hyperostoseos prosequar ulterius, *fulcrorum fabricam*, in quantum huc pertinet, contemplabor. Ossis substantia pro varietate, vel sola compacta; spongiosa, hæc præteolis limitatur duris; vel ambabus opus retiforme interpositum fistulosis maxime conducere, singulis notum est. Unicuique harum substantiarum certam a depravato fluido corruptelam, atque violentiam externam adstrui

strui posse, vetustas modo prædicavit, naturamque harum omnium patefecit. Excipias, morbum lamellatam substantiam destructa cohæsione aggredientem; qui a RUYSCHIO in *thesau. anat. X. fig. II. & III.* ERICO VICTORIN. *diff. de ossibus tuberosis. Tab. II.* tantum delineatus, ab ILL. VAN SWIETEN *Tom. V. pag, 473.* nominatus, nullibi autem descriptus invenitur. In nostro ergo foro, cum de morbo locali sermo est, substantiam ossis compactam paucis attingam. Partem ossis solidam ex laminis pluribus mutuo contactu cohærentibus, sibi incumbentibus constare, abundanter quidem delineatum in celbr. anatomicis videre est. Sed tamen frustum femoris, in quo bracteolæ separatæ, pulchritudinis gratia, quin insculpi iussissem, prætermittere non potueram, cujus Tab. I. fig. 1. effigiem ostendit. Cum nempe simplicissima materia, conveniendo mediante glutine vel contiguitate, copulata fibras parit, quæ in decenti serie positæ lamellas producunt, substantiam ossis compactam constituens. Etsi laminarum cohæsio intime contigua ad duritiem pro ossis varietate perficiendam sit; tamen vasis co-

A 2

piofis,



piofis, ut nutriantur & increſcant oſſa, ſubſtantia dura abundat arterioſis; venæque ad conſumptionem ſuperfluum reducunt. Illud vaſorum genus nutrimento, oſſis incremento inſerviens, aptum, pro apto ad fibrarum ſoliditatem, arctamque unionem obtinendam ſucco citius condenſando, minus ſanguinolento conſiderare oportabit. Qui minorem fluiditatem, glutinium majus exſiccationi mox ſubjectum, quo beneficio tardioſam quidem corruptelam ſequitur, ea autem indole infectus, recuperationem ſalutis parcam habere agnoſcitur.

§. IV.

Paucis his de ſubſtantia oſſis ſolida præpoſitis; Hyperoſtoſeos cum morbis ſimilibus adgredior diſcrepantiam. Et quidem hyperoſtoſis differt

I^{mo} Ab *exoſtoſi*; quæ in ſingulis oſſium regionibus, deſtructa quidem ſubſtantia laminata, ſed extima, enaſcitur. Tumor interceptus non continuatus, durus, magis vel minus dolens prodit. Exoſtoſium exempla proſtant numeroſa apud GODOFR. BIDLOO, JOH. CASPART, eph. nat. cur.

DU

DU HAMEL, LAUR. HEISTER, RUYSCHIUM,
VAN SWIETEN, VAN DER WIEL, & alios.

2^{do} *A Nodis, Tophis*; qui tumores in
superficie ossis, læsa cohæfione fibrarum
mox in medio, mox in ossium finibus ex-
stantes, minus renitentes, utique virus
venerei effluvium pro principio agnoscunt
primo.

3^{io} Discrepat *caries vulgaris*: *a*) Ra-
tione loci *invasus*, cum periosteo ablato
continuitas in primis externæ ossis super-
ficiæ laminis soluta, corrosio, exesio in-
cohant. *β*) Respectu causæ, quæ tam ex-
terna, quam interna ad producendam in-
flamationem, subsequendam depravationem,
communes, cariem dictam proferre
queunt.

4^{to} *Spina ventosa* causam pro more
hyperostoseos quidem internam noscit sem-
per: ast bracteolæ faciei ossis internæ cor-
ruptione ulcerosa destructæ, magnam po-
nunt disparitatem. Notandum hic *Pæ-
darthrocacem* & spinam ventosam unam ean-
demque rem esse: M. A. SEVERINO no-
men ventositatis spinæ tantum displicuit,
dum dicit: *nos autem, quæcunque sit bar-
bari nominis vis, atque etymon, ossis circa*



articulum in pueris abscessum, græco verborum complexu PÆDARTHROCACEN, quasi puerorum ad articulos malum, inscribi voluimus. De recond. abscess. nat. pag. 337.

§. V.

Ex prædictis confectarium est.

1^{mo} *Hyperostosis* sine perceptibili adeo inæqualitate sensuque magis vel minus exquisito substantiam ossis solidam, per longitudinem totam, latitudinem, vel illius partem, plerumque sphærico tumore quod expandat.

2^{do} *Hiperostofin* posse omnes ossis regiones, prout morbi laminas a cohæsione osseas detinentes, quidem invadere, continue vero in ossium regione substantia compacta prædivite, hucusque observata volunt, residere. Recte contra ASTRUC de Morb. vener. Lib. IV. cap. III. pag. 351. edit. prima veneta, observata loquuntur: celbr. Author scribit: *Hyperostosis tumor est ossium spongiosorum, quæ ita instantur, ut pars altera alteram non superemineat, ut in exostosi; sed omnes tumorem, æque participant.* Et sequenti pag. Hinc ergo sequitur 1) capita ossium, quibus articuli constant, hyper-

*hyperostosi sæpenumero in lue venerea tumesci-
cienda esse, quoniam ossium, capita omnia sunt
a genere ossium spongiosorum. &c. Paucis
celebr. ASTRUC loco cit. describit alium
morbum, nullo modo hyperostofin, ita
confundit nostrum morbum cum spina ven-
tosa, quam fortassis in expositione sym-
ptomatum Luis venereæ confirmatæ ideo
plane omisit; unde mihi ille videtur, hy-
perostofin nec in effigie nec in natura semel
vidisse. Quod autem plerumque ossa in
circuitu tumida reperiantur, ratio est:
quia non solum affecti & causam & morbi
initium mentiuntur; sed & incipiens lami-
narum detrusio curanti cura dignoscendi
est maxima.*

3^{to} *Hyperostofin spinæ ventosæ, &
cariæ (stragem suæ fedis si considero; ex-
cipias tardiolem, velociorem incessum, suc-
cessum, majorem, minorem accedentem
inflammationem, hujusque causam exter-
nam) maxime affimilem esse non incon-
grue arguo.*

PROBLEMA.

*An non Hyperostofis pro tertio cariæ
genere, quod in meditullio substantiæ os-
sis solidæ hospitat, pro æquo & bono poni,*

A 4

existi-



existimarique possit? An non hyperostosis idem dici possit mobus, qui abscessus in partibus mollibus, pus tegimentis clausum tenens; hic vero inter bracteolas virus reconditum, apostema in osse, melius utique caries inter laminas osseas?

§. VI.

Locum, ejusque regionem, principium, incrementum, statum, & decrementum; vetustatem, causam magis, minusve violentam; hinc subjectum prope emaciatum, cum symptomatibus peculiaribus, simplex, composita, multiplicata hyperostosis ad divisionem ducit.

§. VII.

Prima hujus morbi *causa* in perturbato humorum, substantiæ solidæ destinatorum, viro venereo imprægnatorum *circulo* sistitur. Quapropter liquidum ex vasis quiescens vel indurescit, vel effusum laminas ad dimotionem stagnando, arrodendo cogit. *Causa* progressum hujus succi interdicens, efficiens est illud, quod succum nutritivum in vasis ambulantiem, certa qualitate imprægnat: ut stagnare, corrodere, exedere, expandere vasa, laminas, substan-

substantiam ossis duram teneatur; hæcque
semper est a Venere.

§. VIII.

Siquitur ergo:

1^{mo} Etsi sedes hujus morbi in spon-
giosa, retiformi ossis parte non sit; tamen
in unica lamina dura, si præpositas ossium
substantias limitat, æque esse non potest.
Sed *semper tertiam cariei speciem*, ubi
magna substantiæ solidæ copia, inveniri.

2^{do} Periosteum non semper ab osse
demptum esse.

3^{io} Nunquam a causa externa Hy-
perostofin produci posse.

4^{to} Hanc cariem virus venereum
pro causa perpetuo non aliam agnoscere.
Quod miasma ad depravationem partium
mucosarum aptissimum in omnibus a Ve-
nere noxiis enixe patet; & nulla morbo-
rum causa, quanquam humorum mucagi-
nem aggreditur, effectus in illam tam no-
cive deponit, qui potentiam in partibus
simili liquore nutriendis, ut ligamenta,
tendines, aponeuroses, ossa &c., serius
aut ocius manifestant. Quoniam autem
succus ossa nutriens majorem viscum ad er-



randum idoneiorem & possidet, & perversendo assumit; ideo materia venerea, quando istius est efficaciam, præ ligamentis, aponeurosis &c. vasa ossium, limosum ferentia succum, affectat stagnando, rumpendo, effluxu exedit. Et si hoc in medio substantiam duram contingat, illius laminas divaricat. Si magis superficialiter ad exteriora, alias ossium v. g. Exostoses, Tophos &c. excretiones; ad interiora spinam ventosam; in medio hyperostosis parit. In qua, si succi nutrientis in vasis illis separationem dicantibus, antequam ille perfecta ad efficiendum ossa indutus est natura; unde aliis a cruore particulis transmigratio corruptibili propioribus associatus, obstructio illa suppeditetur, celerius ad putredinis incrementum dijudicatur. Sin vero succus nutritivus a concreto sanguinis in fibrarum ossium interstitia, scimus enim incrementum partium, quamdiu liquida in vasis contenta, non contingere posse, naturam ad augmentum ossis integram obtinens, depositus sit; materia autem illa venerea, ad destructionem loculamentorum, succoque littora diruere comprobata imprægnatus diutius



diutius commoratur, diruit. In latius, urgente a tergo affluxu, spatium acuminatur; substantiam offis solidam detrudendo, otiosiore ob indolem magis indurescentem, minusque putrescentem corruptione acuminat.

PROBLEMA.

Suntne particulæ in lue venerea inefficientes, & tenues, & acres, humoresque soluti; vel potius acres, & densi? si primum admittatur, quomodo salvari poterit ratio curandi per medicamenta maxime solventia, quæ ad morbum humoribus solutis curandum & ratio & praxis contemnit? Si postremum affirmatur, cur medicamentum saluberrimum, quod *Mercurius* est, non in tali forma porrigitur, in quali omnium maxime, tam respectu promptitudinis, quam securitatis, materiam densam incidere, infarcta liberare vasa & potens est, & omnibus præstantissimorum virorum experimentis suffultum, efficaciam medendi cum vulgaribus cautelis, in quacunque alia forma observandis, præstitit? *Inunctionem puto.*



§. IX.

Vt autem hujus morbi diagnosi vera fieri possit: ad definitionem & divisionem retro ire oportebit. Quotiescunque ergo tumor præternaturalis, durus, magis æquabilis, parum!, vel plane non dolens, offis fistulam ad integrum sphæricæ, vel illius partem, in latius autem spatium, tumidam proponit, Hyperostosis audit §. II. Hac ratione hujus morbi præsentia quidem intelligitur; sed indoles omnino latet. ad illam indagandam divisionem §. VI. objicio: & quidem

1^{mo} Locus, ejusque regio primo intuitu palam est.

2^{do} Hyperostosis ex repetitis per intervalla septimanarum, mensium, omnium hocce morbo laborantium testimonio, doloribus lancinatis, in toto offis ambitu, vel parte circuli lata a corpore ad extrema offium sese propagantibus, profundis, per confinia similiter dominantibus, non vagis, fixis, accedente sensim loci hujus gravitate & impotentia, suum inquirenti prodit principium. Incipienti cancro dolor iste non iniuste comparatur.

3^{tio}

3^{to} Incrementum agnoscitur: quando dolores pungentes, per minora intervalla, dierum nempe, pro ratione materiæ magis vel minus corruptibilis sese patefaciunt. Tumor in figuræ totius ossis peripheria sensim enatus, attactui dolorem, latitudinem pressus servantem, totum autem systema sensitivum in altum passionis gradum moventem significat: qui dolor remota pressione pedetentim decrefcit, donec inter sensum, carbonis ad instar urentem, plane evanescat. Relinquit vero onus, impotentiam incedendi majorem, febremque lentam. Dicta incrementi signa in materia Hyperostoseos magis corruptibili ad illam cognoscendam quadrant, quando Hyperostosis a materia licet inquinata, naturam ad perficiendum os integram obtinente ortum ducit, ideoque minus corruptibilis est, recitata symptomata, ut dolores pungentes, in principio sentiuntur parce, in augmento autem morbi omnino desunt. Os tumidum in longum magis sphærice, grave percipitur, ad functiones incommodum; febricula, opinione saltem ægri, extincta putatur.



4^{to} Status, *ακμή*, ab incrementi varietate dependet: hoc duplici modo consideratur, ergo & status geminus est intelligendus. *a)* Si Hyperostosis causam corruptioni ulcerosæ pronam agnovit; dolor profundus, lancinans totum os amplexatur, hocque tumor sensu exquisito ad omnem partem; incessus cruciatu inhibitus comperitur; accedente periostei inflammatione aliorumque partium huic incumbentium, febris exasperatur. *β)* Causa Hyperostosis producens, quæ minus ad exulcerationem suadet, sensibilitatem obtusam, quanquam in incremento per intervalla pungens erat, vel plane deletam ostendit. Os ad suam se omnem faciem tumidum præponit. Hic universalis tumor ad ossis extrema minus observatur; nisi materia peccans simul substantiam spongiosam, quæ in fistulosis ossibus extremitates fabricat, ad elevationem disposuerit. Febris sentitur nulla, & membrum ad functiones, quanquam vitiosum, tamen non omnino irritum est.

5^{to} Ad decrementum cognoscendum illius triplici attendere descensui, resolutioni; exulcerationi, & indurationi est necesse.

neceſſe. *Reſolutio*, ex conſtante tumo-
rum decreſcentium lege, ſenſim abolitis
ſymptomatibus propriis, quin ſimul ele-
vatione noſcitur diſcedente. *Exulcera-
tionis* inceſſus per accreſcentem ſeſe ma-
niſteſtat dolore profundum, non pun-
gentem, ſed repétite pulſantem: febris au-
cta; tumor inflammatorius, ad partes us-
que molles ſæpe extenſus; gravitas iſtius
membri; horror febrilis aliquoties vibrans;
impotentia ob dolore intimum incedendi
exulcerationem peractam indicant. *Indu-
ratio* omnibus ſymptomatibus dolorificis
evaneſcentibus, ſolo tumore per totam
offis peripheriam obſervatur.

6^{to} Ad Hyperoſtoſeos vetuſtatem ægri
narratio propria ſufficiens eſt.

7^{mo} Simplex Hyperoſtoſis a multipli-
cata per examen ægri, an non plures hu-
juſmodi tumores illum affligant? facile di-
ſcernitur.

8^{vo} Hyperoſtoſis compoſita vel com-
plicata minime latet, quando de aliis mor-
bis, tam internis, quam externis indaga-
tur. Hac occasione præſertim notare cu-
pio: in illis fracturis, quæ a vi externa
tam parva, non correfpondente fabricæ
offis



offis illius fractæ contingunt, semper ratione morborum antecedentium, a viro venereo substantiam ossium solidam fragiliorem facientium, quid suspecti ut opinetur, moneo.

9^{no} Causa quidem intelligi debet semper virulenta a lue venerea; attamen majoris efficaciam, cum illa in exulcerationem abit: minoris in Hyperostosi ad indurationem vergente supponitur.

10^{mo} Occurrunt non raro exulcerationes a causa violenta, partes molles, ossa exedentes, hæcque per totam longitudinem tumida offeruntur, Hyperostoseos præsentiam simulantia; ne quis illam offis tumiditatem pro aliquo Hyperostoseos gradu, sed pro majori cariei vulgaris progressu, judicet, qui per extimas ossium laminas exeso prius periosteo semper incidit, propagando ad internas laminas, has perfodit, extendit, & Hyperostosin mentitur, ideoque in cura contrarium recte auxilium exposcit.

§. X.

Spes in Hyperostoseos simplicitate, principio, causa minus virulenta, subjecto
non

non emaciato fanitatem recuperandi ponitur aliqua. *Prognosis* autem pejor est.

1^{mo} Si *Hyperostosis* multiplicata magnam materiæ virulentæ copiam indicat.

2^{do} Hæc materia, si natura corruptioni propior, ad exteriora magis laminas exulcerando depravat; unde & partes incumbentes molles pure solvuntur; hocque non in tota ossis peripheria accidente, exfoliatio *correctis humoribus* expectanda.

Sin vero

3^{to} Exulceratio laminas ad cavitatem ossis proximas rumpit, & Substantias internas, & medullam pure acri in fistula latitante putrefacit, hocque pro magna harum partium jactura, donec partes molles corruptione ulcerosa separentur, & clauso pure via eveniendi patula concederetur; *cum liberatione actum est.*

4^{to} Hujus morbi vetustas, ideo materia judicatur exsiccata, dura, nihil, nisi os tumidum per totam vitam, & ad functiones, mutata tempestate, impedimentum promittit.

5^{to} *Hyperostosis* in subjectis orta, in quibus ossa ob infantiam copiosioribus adhuc vasis gaudent sanguineis, majus ad

B

corru-



corruptionem ulcerosam periculum subministrat.

§. XI.

Etsi medelam ad hunc morbum tam profunde sepultum, a materia virulenta productum, & desuper in partibus, minore agilitate præditis, valde tardam & ambiguum esse nullus non ex communi lege intellexerit; tamen non omni juvamine in morbi etiam pejori statu, causa ad dimotionem adhuc disposita, viribusque ægri adjuvantibus est abstinendum. Medendi ratio ex prædictis facile patet: morbus noster a viro venereo principium duxit, antivenereum erit medicamentum in natura unicum hucusque cognitum, *Hydrargyro*, efficacius nihil. Dolosus garrat Arrephorus quidquid velit, in morbis venereis *Hydrargyro* opus est, quod quidem arcano suo certe immiscet, sed fraudulentè negat. Omnigena medicorum supellex jam tentata simulque reiecta, Mercurius Veneris domator hodie unicus a medico experientia docto digne coronatur solus. Mihi itaque, cui plures ab aliis hypothesas ad defendendum strenue consultum est, pariter & novam

& novam proferre licitum fit, quæ actionis rationem exponit Hydrargyri in virus venereum. In naturam virus Disquiram minime, sensus & conceptum fugit, vanas hic acidam alter alkalinam statuminet acrimonias; tertius componat ex omnibus jamjam fictis & forsan adhuc fingendis acrimoniis miscellanea, mea parum interest! Sufficit mihi scire *Miasma* esse, quod sanguinis muco maxime accrescit & illum inquinat; ideoque partibus continentibus mox corrodendo pessimi moris putrilaginem inducit, mox intumescendo illas in durum ac indolentem elevat tumorem: quod miasmati in sanguinem non solum per coitum impurum concedatur transitus; lac veneniferum castissimo infanti aut vix aut nullo modo pepercit; saliva aut oris halitus miasmate imprægnata per osculationem illa in summa labiorum superficie minimis imponit vasculis suum virus contentum subito intrans, hic in alterius oris cavum per inspirationem attractus applicatur partibus in ore circumpositis irritans turpiter post tempus exulcerans: imo, experientia instructore, vestes viro venereo

B 2

asperfæ,



asperfæ, quibus alter inſcius ſefe indu-
 bat, dumodo cutem tangunt nudam, in-
 cauto miasma hoc communicavere, tan-
 tæ ſubtilitatis tam volatile venenum eſt,
 contra quod medicamentum vt habeat ſi-
 miles proprietates, oportet, & cum ho-
 ſte pugnans eas nullo modo perdat. Pe-
 nes Hydrargyrum non aliud potentius
 medicamen univerſa monſtravit uſque huc
 natura; eſt enim fugax, eſt fluidum, ſo-
 lubile vaſorum capillarium ingreſſui ac-
 commdandum, non reſolubile, non eſt
 deſtructibile, metallum conſtans: agere ex
 alia virtute ne dixerim, ex nulla autem
 ſuarum partium conſtitutivarum præcipua
 conditione alia conjecturam capimus. Hy-
 drargyri partes conſtitutivæ a ſagaciſſi-
 mo D: MEVERO aſſumuntur; componi-
 tur nempe ex materia lucis acido pin-
 gui, aqua, alio adhuc composito phlo-
 giſton, & terra. Hæc principia ita com-
 binata, ut recte Hydrargyrum conſtitu-
 ant, nulla arte tranſmutanda ſunt, eo-
 uſque in medicina manere valebunt, ve-
 rum etiam nulla mercurialis compositio
 ad medendi ſcopum inventa, quæquæ
 ſit, tranſmutationem metallo inducere va-
 let.

ſeraphim

8

let. Quidquid authores excogitavere, hoc consistit in tritu, divisione, mixtione, aut solutione, qualis dictio magis arridet, neutiquam in Hydrargyri resolutione vel intrinseca metamorphosi; una harum, quæ necessariam metalli quantitatem, & in vehiculo suo incomparabiliter divisum tenet Hydrargyrum, illi inventioni palmam præripere dicunt, ideo factum est, quod mox hoc, mox novum illud inventum jam ob minimam Hydrargyri quantitatem contentam, jam ob crudam præparationem non penetrabilem traduci nomine impotentiae debuerit, & hoc quidem non immeritissimo. Qualis methodus exhibendi Hydrargyrum in morbis venereis illud in sua præparatione resolutum habet? ad unam omnis, nulla. Pingua, mucosa non resolvunt, & acida cuncta quidem solvant Hydrargyrum, & in suas partes minutissimas integrantes findunt, sed resolvunt nihil. Mercurius transmutandus non est, excipias in metallum ipso perfectius, aliarum partium appositione in deterius nullo modo; agglutinantur tantum corpora imperfectiora, cum quibus magis vel minus evadit corrosivus, in
ovp
B 3 quinatus;



quinatus: & sub hac qualitate aut forma pingui Hydrargyrum esse medicamentum exempla trahunt. Transmutatus vero ad majorem metalli charissimi perfectionem, quo propius accedit, eo minus aut nullum erit medicamentum, quodque analogia exactissime probat: aurum esse antivenerum quis medicorum dicet? quum nec extra corpus nec in animalis humoribus illam fluiditatem, solubilitatem, ut adquirat, cogi potest, qualem Hydrargyrum facile assumit extra corpus & conservat humoribus mistum; talis enim proprietas medicamento ad expellendum virus subtilissimum semper necesse est, hacque Hydrargyrum præ omnibus gaudet. Ex prædictis sana ratio concludit, Hydrargyro in morbis venereis consequenter in Hyperostosi melius nihil: quidquid calamistrati vociferant medici de arcanis sine Mercurio, illud ipsis non esse credendum, si illorum commendata curant, Mercurius inest, nulla alia, hujus sola vi profligatur virus: Hydrargyrum agere fugacitate, subtilitate, fluiditate, ad vasorum minimorum ingressum promptitudine, constantia; his qualitatibus donatum intrat corpus, in
 quo

quo nil amittit, modo extra corpus divisionem obtinuit possibilem, qualem circulo difficilime deperdit, retinet potius a vasorum fibracione, tritu coactum; humorum massam ad vasa minutissima sequitur decompositione incapax; mucum misasmatismis hospitium dividit, solvit, & aptum reddit majorem humorum commiscibilium copiam assumere, consequenter ex commoda sede ita virus extrudit; organa aperit excretoria; hostem detestandum educit, hac nimirum virtute agit, quum nihil ex partibus ipsius constitutivis per quamcunque præparationem resolutum venit, & quum per certas compositiones illud, non nisi in perfectius metallum, transmutandum, viribus antiveneris destituitur, ut superius dictum est. His positis in qua forma aut qualitate maxime activum sit Hydrargyrum, ad quæstionem ducitur. Omnibus Hydrargyri præparationibus pensitatis, ab experientia instructa, aut Mercurium corrosivum in aqua pura solutum cum D. RICHARD, aut aquam vegeto-mercurialem cum D. PRESSAVIN, aut vetustissimam inunctionem mercurialem ratio suadet; efficacissime verum in



pertinacissimis ac antiquissimis morbis venereis inunctio mercurialis una cum ex præpositis præparationibus simul adhibetur, experto crede GARDANE; interea tamen copulatam methodum Hyperostosis non semper exposcit. Hoc in casu, ubi morbus non tam inveteratus ideo minus pertinax eligerem simplicem curandi methodum, unam ex his tribus, & quidem, si occasio, aut Hydrargyri jactura, aut circumstantiæ aliæ non prohiberent, inunctionem mercurialem. Objectiones contra hanc medendi rationem a viris utique gravissimis factæ me ab ea nondum deterruere, tanti ponderis non sunt, ut omnem considerationem promererentur; potius somnium adeo gratum, aut blanditiæ amatæ inunctionem apud quosdam autoritate privarunt, aut, *figulus enim figulum odit*, saluberrima montpellienensis scientia debuit refutari. Audiamus tamen paucis, quæ contra inunctionem in medium proferri possunt: 1) Hydrargyri quantitas incerta est; tertia ad minimum pars deperditur, partim in superficie cutis hærens, illam non ingreditur, partim manicis ad frictionem adhibitis infugitur;

fugitur; nec est impediendum, quin in ipsa frictionis actione aliqua portio ob genium volentem auras pedat, nescitur ergo Hydrargyri intrantis copia, quæ, si nimia sit, aut subjectum in ptyalissimum inveniatur pronum, hunc inutiliter, periculose & in medelæ detrimentum excitat. Si jacturam medicaminis sumptuum respectu non æstimare debet medicus, reliquum ejus prudentia vituperat; quasi otiosus staret. Indies inquirere inquirenda perspicacium quis est, quin intelligat?

2) Copia Hydrargyri inungenda usque huc nondum est definita; imo circa inungendi modum authores inter se discrepant, utrum mercuriale unguentum ad siccitatem usque interendum, vel utrum illud leniter cuti inunctum, magis fluens eidem relinquendum sit. In quo morbo copia medicamenti definita est? Certe in nullo, hoc dependet nimirum ab ejus duritie, vigore, & ægri constitutione: non memini me legisse, unquam circa frictionis modum bonum medicum fuisse anxium. Tyroni non in mentem veniet, fatis esse, unguentum cuti tantum monstrare, & non bona frictione Hydrargyrum vasis cutaneis



taneis imprimere. 3) Multis hominibus propter officium, occasionem, & silentium debitum præscribi non potest. Hoc quidem verum est, sed ideo medicamento labem inferre, non video causam, quanquam illis danda non est, manebit tamen methodus salutaris. 4) Inunctioni artuum tremor, paralyfis, & mordicantes pustulæ, quæ subinde in cute prorumpunt, obtrudenda sunt. Tremor & paralyfis Saturno quandoque cum Hydrargyro misto adscribuntur certius, quapropter Mercurius sit rite depuratus; etsi horum hunc aut illum morborum Mercurius per inunctionem corpori immisus induceret, tamen inconcinnæ applicationi potius & neglectis aliis requisitis hoc adscribendum esset, quam medicamento proprio: pustulæ nunquam superveniunt, ubi minor *Terebinthinæ* copia ad Hydrargyrum subigendum sumitur, & balneis tepidis mundificatur cutis, hoc facto transpiratio necessaria unguento poros obliniente prohibetur minime, e contra vero promovetur. 5) Sanatio per inunctionem tardior aut nulla saltem perfecta. An nunquam reliquit incuratos & Mercu. subl. corros. & quælibet alia metho-

methodus? hoc quidem omnes testantur non præjudicantes authores; quapropter consilium dant: si ægroti corporis fabrica aliquam methodum ita affueverit, ut nulla amplius ex ea fieret mutatio, alia est adhibenda: ecquid multum juvat dicere, experientia docet plurimos inunctione perfecte sanatos fuisse, quam alia quacunque methodo. 6) Si miasma in minimis jam-jam vasis sedem fixit, Hydrargyrum minoris aut nullius esse efficaciam, quum vasa minima intrare nequit. Quomodo, quæso, hæc proclamatio experientiam & propriis convenit factis! nuncquid in deterimo luis gradu, ossa quando sunt exesa, efficacius, certiusque nihil esse, ad debellandum inveteratum, & ad ultimam perniciem deventum morbum, quam frictio mercurialis una cum Hydrargyro interne dato, GARDANE, PRESSAVIN, DE HORN autoritate sua statuunt. Ad quid frictio hic tam potenter exaltatur? forsan Hydrargyrum per inunctionem sanguinis massæ immixtum virus in vasis majoribus circulans ut emendet, per os autem datum minima adeat vasa, virusque ibidem expellat: sane si veterum observationes non extarent,



exstarent, quæ Hydrargyrum in ossium
 substantia inventum fuisse probant, non
 per os datum, sed frictione ipsi concedeba-
 tur introitus. Hoc est, quod objectiones
 omnes contra vias Hydrargyro immeabi-
 les illatas enervat. Inunctio mercurialis
 igitur est efficax, potens, est sub certo
 respectu infallibilis sanandi methodus, quæ
 quidem suas habet difficultates, sed aliæ
 aliis certe majoribus non carent. Ubi tem-
 pori sed non sumptibus est parcendum;
 ubi æger de bona fama non periclitatur;
 ubi occasio, officium ad hanc requisita per-
 mittunt, methodus per extinctionem pri-
 mas tenet propter securitatem & condi-
 tionem meliorem, cum corporis fabricæ
 plane innocua est, nullamque partibus so-
 lidis aut fluidis resolutionem noxiam indu-
 cit. Oppositis nunc dictis obstaculis eligat
 sibi medicus Mercurium sublimat. corrosiv.
 in aqua pura, vel cum III. VAN SWIETEN
 in V. Ceraf. vel V. Rub. Idei solutum,
 non autem in vino adusto, quum multi
 homines spiritum præsentim frumenti non
 ferunt. Ne obliviscaris, te ordinare me-
 dicamentum summe rodens; omnibus
 cum grano salis, militibus inferioribus &
 similibus

similibus hominibus maxima cum cautela esse propinandum experientia docuit; nimirum nihil magis insidias collocat animalis vitæ, quam ad substantiam metallicam acidum salis culinaris concentratum, destruit enim & ad integrum resolvit solidissima animalis omnia illorumque contenta: nihilo tamen minus in experta manu bonum est medicamentum Hydrargyrum sublimatum corrosivum in aqua solutum.

Proxime accedit aqua vegeto-mercurialis, quam noviter D. PRESSAVIN in medicinam duxit, & omnibus contendit viribus suum medicamentum nolenti dare universo ut præstantissimum & efficacissimum. Multis certe non displicet, ejus compositionem in latino idiomato legere posse, quæ ex gallico traducta hic sequitur:

℞. Mercur. ex Cinabr. revivif. ℥. i.

Spirit. Nitri. ℥. i. & ℥iv. solve supra moderatum calorem Mercurium in spiritu.

℞. Sal. Tart. lib. i.

Aqu. font. lib. β. f. solut. falis in aqua.

Illo tempore, quo isti duo liquores bulliunt, misce hos inter se, fundendo solutionem



tionem mercurialem super alkalınam, agitur ad perfectam unionem.

Præcipitatur in vase sedimentum lateris pulverisati.

Nota, hæc operatio debet institui in magno vase figlino, quod ad minimum lib. XII. aquæ capit.

Funde super hoc præcipitatum magnam aquæ pluvialis fervidæ quantitatem, & post agitationem quieti repone, donec aqua sit clara, tum fit decantatio, & affunditur nova pari ratione ut dictum est; hic labor quater reiteratur.

Præcipitatum tali modo bene lotum manet in vase, donec ficcatum sit, huic superfunde lib. X. Aceti albi destillati, bulliat per duas horas vase bene clauso, sedimentum quandoque agitandum; tandem hujus liquoris decantatio fit in ipso ebullitionis motu, & superaffunditur novum falis tartari lixivium præcedenti simile. Momento temporis præcipitatum album habetur, quod per mediam horam quieti relictum separandum & vt præcipitatum primum bene lavandum; post hoc in cucurbitam indatur cum tribus libr. aquæ, & quatuor uncıis Cremoris tartari pulverisati, postquam

postquam per duas horas bullivit refrigerationi committitur liquor, qui aquæ fontanæ adinstar limpidus evadet; tum decantatur & conservatur in vitro exacte clauso, est enim *aqua vegeto-mercurialis*. Hæc compositio quidem magni precii est, sed etiam prærogativam habet, quum caustici nihil medicamento relinquit, nec minimam ventriculo nauseam parit.

Est adhuc alia præparandi ratio, quæ viliori precio paratur sine virtutis suæ damno, nullumque ex ea pravum symptoma est metuendum, solum non tam insipida, quin saporem metallicum imprimat linguæ.

Sumitur præcipitatum primum lotum, & in aceti loco affunduntur aquæ pluvialis lib. XVI. & lib. β . Cremor. Tart.; bulliat hic liquor, donec præcipitatum rubrum nivis adinstar album sit; tum ab igne removetur, refrigeratum, & decantatum conservatur. Hac ratione aqua vegeto-mercurialis confecta dubla dosi est propinanda. Nam continet uncia una quintam grani partem Mercurii, & in unica una aquæ vegeto-mercurialis ex prima præparatione continetur granum unum Mercurii. Hic adhuc notandum venit, quod pondera

ra

ra Parisiis a nostris differant; scrupulus nempe pendet grana viginti quatuor; drachma continet grana LXXII., uncia est drachmarum octo, granorum nempe DLXXVI., libra complectitur uncias XVI.

Disquisita nova hac Mercurii præparatione non dubito, quin omnis bene percipiat, Mercurium ita aptatum, cum unguento mercuriale pari passu ambulare posse. Divisio, solubilitas & dulcedo sunt qualitates, quæ in præparatione mercuriale reperiri debent, his sane aqua vegeto-mercurialis præ Mercurio sublimato gaudet, quanquam non omnem amiserit causticitatem, quod sapor metallicus probat, & effectus, qui ab ea in ventriculo proferuntur, manifestant; tamen sine omni comparatione sublimato dulcior est.

§. XII.

Anterius ut lucremur, pro rerum circumstantia venæ sectio suadenda est, postquam primæ viæ ab impuris liberatæ sunt aqua laxat. vien, vel alio purgante.

In principio Hyperostoseos & incremento omnium maxime laudabilis est inunctio mercurialis, cujus auxilio Mercurius millesies magis divisus, quam ullius alterius

ope

ope divisionis, consideratis ad ingressum viis, corpus nostrum intrare cogitur. Ad hoc Suffulciendum sequentibus stringo: quando verum est (quod ad nostra tempora deficiente alia veritate assumi debet) Mercurium ex divisione subtilem, fugacem, penetrabilem, solum activum reddi, effectus de majori divisione & promptus & certus arguitur iuste; major divisio, Mercurio, ad vasa perspirationis insensibilis, lacteis vasis intestinorum longe minora, intranda subactio acquiritur certe; ergo Mercurius via divisionis tam angusta ad ingressum subactus ultimo divisus ingrediens, effectum & promptum producit & certum. Vasa perspirabilia esse lacteis intestinorum longe minora ex communibus in secretionum lege factis tentaminibus evidenter declaratur. Mercurium illa intrare, & effectus velocissimos, minoribus adhuc cautelis, quam si per vias chylicationis in sanguinis massam mittatur, junctos proferre, observationibus evictum est. Concludendum sane: quum Mercurius nulla alia via, nisi per vasa peripheriæ corporis ad interiora immittatur, tam exacte dividendus,

C

virtus



virtus a divisione petenda ; ad virtutem
 obtinendam potius ergo vasa perspirationis
 Mercurius ut intret, est ordinandus. For-
 mulam, ad Hyperostofin sanandam opti-
 mam talem adpono: fume pinguedinis suillæ
 bene lotæ uncias Duas, ceræ albæ unciam
 β ; his liquefactis & mortario marmoreo
 inditis adde Mercurii ex cinnab: rediviv:
 Drach: duas, terantur pilo ligneo, do-
 nec dispareant ; tum iterum Mercurii
 Drachm. duas admisce, & divide ad ple-
 nariam extinctionem: ita continuandum,
 donec duæ Mercurii unciaë in pinguedine
 exactissime sint divisæ. Hujus ungenti
 usum, & cautelas, aliaque requisita nul-
 lo modo negligenda hic prætermitto, in
 libris enim bonis practicis ubique reperi-
 untur, simul etiam decocta sudorifera, &
 ordinaria cum vivendi ratione pro re na-
 ta iudicium & experientia præscripserunt.
 Tantum pro sanatione principii Hypero-
 stoseos & incrementi, licet ossis tumores
 pro ultimo & deterrimo morbi venerei
 symptomate habendi sint, obtinenda sa-
 tis fuisse, nisi ossis substantia citato gra-
 du putrilaginem perniciosissimam adprope-
 ret.

ret, gnarus scio; hoc autem in casu, ubi periculum foetidissimæ corruptionis instat, ad majorem vigorem ex Mercurio obtinendum, aquam vegeto - mercurialem simul cum frictione adhibendam esse observationes docent Preslavianaæ. Utpote ad uncias sex decocti, ex Rad: Alth., Bardan:, Polypod:, Saffaparill., ligni Guajac:, additur cochlear unum aquæ vegeto - mercurialis, ascendendo ad tria cochlearia; binis vicibus in die absumenda est hæc quantitas. Circumstantiæ morbi & ægri non prohibent dosin aquæ vegeto - mercurialis auctam, potius indicant.

Si attactui dolor nullus, nullusque tumor, functio libera, ceteraque symptomata pacata resolutionis finem manifesta-verint; vasorum vigorem tum medicamentis juvamus roborantibus.

In Hyperostofi ad exulcerationem (perceptis signis §. IX. N^o 4. notatis, tertium cariei genus §. VIII. *proplema*) ossium laminas interducentem deventa, quando partes incumbentes molles, vel adjuvantibus impositis emollientibus, & per hæc fluctuatio extrorsum magis allecta



aperturam jussit, vel potentia materiæ, ad externas magis laminas stagnantis, hæcque perfringentis, solutæ sunt: median- te pulvere ex Myrrh., Mastich., succ., Euphor., Aloë, Oliban. &c. in majori hujus cariei incessu, offis perforatione, succurrentibus balneis, si membrum illud imponi possit, ex herbis anteputredinosi; exfoliatio est promovenda, non intermis- sa methodo procuratione morbi proprii si- bi præfixa. In maximo Hyperostoseos gradu, qui ad plenariam offis, & exinde totius membri corruptionem devenit, quod quidem de raro contingenti est; si corpus ceterum a miasmate venereo liberatum, vires ægri non exhaustæ, & hyperostosis non sit multiplicata de totius membri ex- stirpatione est cogitandum; nisi pars ipsa illam interdicit. Obstantibus his mor- bus morbum pacificat morte.



ICONUM



ICONUM EXPLICATIO.




Fig. I.

Frustum Tibiæ, in quo substantiæ ossis compactæ monstrantur bracteolæ separatæ.

Fig. II.

Portio intestini Jlei ex puellula unius anni.

- a. Processus præternaturalis. cujus cavitas cum intestini cavo ita continua est, ut vix aliqua intercedat capacitatis differentia. Hunc processum foras annulum abdominalem in disquisitionibus anatomicis publicis monstravi fuit, faecibus repletum, *Entrobubonocelen* constituit, sine omni tamen sanitatis incommodo, ideo in vivente puellula observabatur minime. Hæc enterocelis species neutiqaum convenire cum casu *Littriano* clare patet; cel: author descripsit herniam ab intestini ilei appendice factitia: paries nempe intestini

C 3

mesen-

mesenterio oppositus in canalem protrusus fuerat, & per anulum abdominalem in scrotum sensim delapsus; similes & MORGAGNIUS, RVYSCHIVS & PALFINVS memoravere. In nostro exemplo intestini appendix a natura est fabricata, tota intestini peripheria in processum præternaturalem abit, qui cum reliquo intestino unum contiguum est, & eandem habet cavitatem. Talis herniæ species, quantum ego scio, nondum observata est; liceat ergo distinguere hernias appendiculares in *originarias* & *factitias*, hæc denominatio convenit herniæ a LITTRIANO & aliis superius dictis authoribus visa; prima fit hernia ex appendice *originaria*, species nostra utique nova.

Fig. III.

In eadem puellula Ren nnicus inveniebatur, qui in corpore vertebræ lumborum ultimæ ita situs fuerat, ut margo excavatus sursum spectaret, convexus deorsum.

- a. Arteria Aorta descendens
- b. Vena cava ascendens.
- c. Arteria Cœliaca.
- d. Arteria mesenterica superior.
- e. e. e. Arteriæ suprarenales ex Aorta.

f. f.

f. f. Arteriæ emulgentes.

g. g. g. Introitus arteriarum emulgentium in substantiam Renis.

h. Arteria suprarenalis ex emulgente sinistra.

i. Arteria emulgens ex iliaca sinistra: 1.) exitus, qui ab ipso Rene parum tegitur; reflectitur arteria & intrat 2.) in substantiam Renis ramo ureteris tecta.

k. k. Arteriæ spermaticæ.

l. Arteria mesenterica inferior.

m. m. Arteriæ illicæ.

n. n. Renes succenturiati.

o. o. o. Ren unicus.


p. p. Ureteres non procul a vesica urinaria detruncati.

q. Dexter ureter simpliciter ex substantia renis educitur.

r. r. r. r. r. Quinque rami separatim exeuntes ex substantia renis concurrunt in unum truncum, & constituunt ureterem finistrum.

F I N I S.





II p[ar]te




Fig. I.

Fig. II.



Peter Majr. sculpsit.

